

„ bus resistamus, diu, noctuque sub pellibus ver-
 „ fari; id enim maximo est impedimento non so-
 „ lum illis, qui negotiis domesticis, & agriculturæ
 „ detinentur, verum etiam nobis omnibus, quod
 „ quotidiano experimento esse verum discimus.
 „ Nobis vero, quæ ad præstantissimam, & feli-
 „ cissimam civitatem ædificandam *necessaria fuerint*,
 „ usui non deerunt. Oppida enim nostra omnium
 „ rerum copiam, quæ ad bene, beateque viven- 10
 „ dum necessaria, opportunaque sunt, præbebunt,
 „ relictis veteribus sedibus, universas fortunas eo
 „ transferemus, ubi condendæ urbis commune
 „ consilium deliberabit locum esse capiendum, quem
 „ muro, fossaque circumdatum, hostibus oppone-
 „ mus ad eorum frangendam ferociam, ne semper
 „ apertis pectoribus decertemus. Concipio enim
 „ animo urbem fore non solum inexpugnabilem,
 „ sed etiam felicem, & quæ aliquando de victo,
 „ captoque hoste sit triumphatura. Accedit, quod
 „ famam illustrem, ac omnibus sæculis, ætatibus- 20
 „ que admirandam nobis parabimus. Hoc lauda-
 „ bunt posterī, admirabuntur præsentēs, atque om-
 „ nes nationes ipsæ laudibus extollent. Quid enim
 „ hac nostra tempestate illustrius moliri possimus,
 „ quam novam urbem condere? quam veteres
 „ Romanos imitari? Qui his excellentibus operi-
 „ bus patriam suam illustrarunt. Quid securius co-
 „ nari possumus, quam nos, qui fortitudine ini-
 „ micos nostros longe præstamus, operibus etiam
 „ antere, ut & intra mœnia, & vallum hostes 30
 „ prosternamus? „ Hoc habito sermone statim
 „ universus conventus uno ore, perbelle excogitatum
 „ adclamarunt, nullumque salubrius consilium in præ-
 „ sens inveniri potuisse; rem quidem fore difficulta-
 „ tis plenam, sed ad hostium impetum retundendum
 „ valde opportunam. Multæ difficultates conventum
 „ ipsum remorabantur; sed hinc utilitas, & prope
 „ necessitas impellebat, hinc gloriæ cupiditas ad id
 „ faciendum. Quare cum omnibus suffragiis id ipsum
 „ comprobatum fuisset, locum, qui maxime urbis 40
 „ condendæ aptius esset, diligentius perquirebant;
 „ sed idemmet Emanuel, qui primus sententiam di-
 „ xerat, in hunc modum elocutum ferunt. „ Quid
 „ diutius de loco novæ urbis capiendo perquiri-
 „ mus, collegæ optimi? cum ante oculos, ante-
 „ que ora nostra stent agri fertiles, pinguique solo
 „ uberes, omniumque rerum abundantes, copia
 „ frumenti, & vini, atque procerarum arborum
 „ amœnitate, nullis non anteferendi; ita ut vix 50
 „ decerni possit, Ceresne, an Baccus sedem suam
 „ hic collocarit. Ad hæc aer saluberrimus, qui ha-
 „ bitatoribus vitales spiritus visu ipso subministrat.
 „ Fluvius præstantissimus, ac perennis, qui incolis
 „ plures præstabit commoditates, ingentes addet
 „ opes, non solum earum rerum, quæ ad cultum
 „ aptæ erunt. Ex hoc enim aditum habebimus in
 „ Eridanum fluviorum regem, ex hoc in mare
 „ Adriaticum, & a mari Adriatico per universum
 „ fere orbem aditus patebit. Quibus accedit primo
 „ civitas nostra maxime opportuna, & vicina erit 60
 „ Astensi, Derthonensi, Albensi, & Aquensi, &
 „ reliquis circum adjacentibus civitatibus, & op-
 „ pidis, ubi populi infiniti propemodum sunt. Ade-

„ rit enim nonnisi intervallo quadraginta millium
 „ passuum interjecto Genuensis civitatis commer-
 „ cium, quæ nobis summo adjumento, ac usui
 „ esse poterit. Nos illos, quibus minima est copia
 „ frugum, frumento nostro, illi nos mercibus, quas
 „ summo vitæ discrimine ex universo terrarum or-
 „ be in urbem suam advehunt, juvabunt; adeo ut
 „ civitas nostra tanquam centrum Pedemontium,
 „ Montisferrati, & Mediolanensium erit, ita ut
 „ brevi tempore sperandum sit fore, ut futura
 „ urbs ita crescere debeat, ut non solum nobis,
 „ qui in ea commorabimur, Deo Opt. Max. fa-
 „ vente, verum etiam aliis Populis domicilium,
 „ sedesque sit futura, qui tantis pellecti commo-
 „ ditatibus huc convolabunt. Agri autem, quos
 „ conspiciamus penes socium hoc castrum Roboreti,
 „ nobis usui erunt ad urbem amplissimam, & au-
 „ gustissimam ædificandam, a quo non procul, li-
 „ cet trans Tanarum abest Bergolium ad occiden-
 „ tem versus; Marengum vero orientem spectat;
 „ meridiem Castellatium; & ab his sane oppidis
 „ non procul Quadringentum, Solerium, Vuiliæ,
 „ & Boscum, & reliqua fœderata oppida distant;
 „ opportunitatem ad materiam necessariam conve-
 „ hendam Tanarus ipse præstabit, & omnium alio-
 „ rum locorum propinquitas facultatem nobis abun-
 „ de suppeditabit: & si destructis, & dirutis no-
 „ stris patriis sedibus, sedes novas, easque magni-
 „ ficentiores quærere, & opes nostras in urbem
 „ novam comportare velimus, nullus rem hanc
 „ aut turpem, aut contemnendam censeat, cum
 „ urbs inclitissima, & propugnaculum omnium no-
 „ strorum ex ruinis voluntariis patriarum, terra-
 „ rarum ædificanda sit. Quin imo factum hoc sine
 „ dubio gloriam, & honorem perpetuum, decus-
 „ que sempiternum nobis allaturum esse confido. „
 „ Hac igitur habita oratione omnes fere in eandem
 „ sententiam pedibus inierunt; ita ut multi voluntarii
 „ forent, qui patriam suam everterent; aliqui vero
 „ non funditus delevere; sed colonos tantum in no-
 „ vam urbem transmittere decreverunt. Sunt enim
 „ qui dicerent novam urbem nimis objectam pericu-
 „ lis ex tanta vicinitate Populorum, vixque evadere
 „ posse, quin in bellorum maximas tempestates deci-
 „ derent ob Gallorum vicinitatem, ac Allobrogum,
 „ Genuensium, & Insubrum, & propterea decanta-
 „ rent versus illos Lucani:

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!
 O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
 Et tranquilla quies populos: nos præda furentum
 Primaque castra sumus, melius fortuna dedisses

.

 Nos (1) primi Senonum motus, Cymbrumque ruentem
 Vidimus, & Martem Libyes, cursumque furoris
 Teutonici, quoties Romam fortuna laceffit.
 Hac iter est bellis

(1) Apud Lucan. ex editione Grotii lib. 1. vers.
 254. Non legitur.